

Magdeburg, 1451, Juni 28.**295.**

Der Cardinalpriester Nicolaus ernennt die Äbte der Klöster Berge, Huysburg und S. Petri in Erfurt zu Visitatoren der Benedictinerklöster in der Magdeburgischen, Meissenschen, Naumburgischen und Merseburger Diöcese und verordnet, dass alle drei Jahr das Provinzialcapitel der Benedictiner im Kloster Berge gehalten werden soll.

Nicolaus miseratione divina et sancti Petri ad vincula sacrosancte Romane ecclesie presbyter cardinalis, apostolice sedis per Almaniam legatus, venerabilibus in Christo nobis dilectis patribus et religiosis personis abbatibus abbatissis prepositis decanis prioribus et conventibus ordinis sancti Benedicti per Magdeburgensem Misnensem Nuemburgensem et Merseburgensem diocesim ubilibet constitutis salutem in domino divina pietate ecclesiam sanctam misericorditer respiciente. Actum esse quis poterit dubitare, quod hoc in tempore sanctissimus dominus noster dominus Nicolaus papa quintus pastor vigilantissimus eidem ecclesie prefectus existit, cuius diligentissima cura ad hoc indesinenter attendit, ut oves sibi creditas in salutis viam dirigere possit et in dei caritate unumquemque pro suo debito ardere se procuret. Idcirco sua sanctitas ad sacerrimam vestram religionem oculos attollens nobis districte precepit atque singulariter dedit in mandatis, ut per singula comisse nobis legationis loca eam sollicitudinem, quantum ex alto conceditur, adhiberemus, quod omnis si qua exorta repperitur difformitas a vestra religione divina apostolica visione amoveatur sacraque religio in sanctis observanciis reviviscat. Sed quia nos permultis eciam aliis occupati negociis ad singula vestra loca personaliter accedere non valemus, per alios nostros commissarios id ipsum explere compellimur, quod nostra in persona facere nequimus. Hinc venerandos in Christo patres in Berga extra muros Magdeburgenses et in Huesborch Halberstendensis necnon sancti Petri Erfordensis Maguntinensis diocesis monasteriorum abbates, de quorum fidei integritate ac optimo zelo ad dei cultum et religionis observanciam plurimum in domino speramus, apostolica auctoritate visitatores vestros deputavimus ac deputamus per presentes eosque ad vos et singula vestra monasteria utriusque sexus ad visitacionis officium plenarie exercendum cum omni facultate ad hoc necessaria transmittimus, quibus precipue dedimus atque eciam harum serie damus in mandatis, ut ipsi solum deum pre oculis habentes omni sinistra affectione postposita dispositiones statum et condiciones omnium et singulorum vestrorum monasteriorum ac personarum in ipsis et ipsorum quolibet degentium primo ab abbate et capite incipiendo, deinde ad alias personas descendendo usque ad ultimam sollicite et diligenter inquirant et inquisita debite conscribant seu conscribi faciant omniaque et singula que a regula et statutis dicti ordinis devia esse comperuerint (!) emendari procurent, ubi vero in visitacione huiusmodi graves excessus et